



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. I. Quid sit superbia, & quale peccatum?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

imperfecti : quia hoc posterius, non est com-
mune absolute & simpliciter, sed tantum secun-
dum quid, v. *Sanch. 1. mor. c. 5. Bon. de peccatis*
2. q. 3 p. 5.

Resp. IV. Peccatum, vel opus indifferens habens mali speciem, transit per accidens in mortale, si ruina per illud proximo causanda sit mortalis. Ratio, quia tali operi superadditur aliquid graviter repugnans charitati. v. *Alfons. scandalo & Fill. 1. 21. c. 6. q. 10. n. 212.*

Resp. V. Veniale, vel opus indifferens, transit in mortale, ratione periculi incidendi in mortale, quando quis sine sufficiente cautela, aut necessitate aliquid facit, per quod veniat in mortale, ac proximum periculum peccandi mortaliter, quia talis salutem animæ contemnit, cum ratione probabili ejus periculo temerè se exponat. Unde in confessione explicanda est species peccati, cujus periculo se objecit, quia eodè genere peccati peccavit. Proximum autem periculum censetur, quod frequenter homines similis conditionis in peccatum mortale inducit.

CAPUT III.

De Peccatis capitalibus in specie.

DUBIUM I.

Quid sit Superbia, & quale peccatum?

Resp. I. Superbia est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ : mortalis ex genere suo, & sit consummata & perfecta, id est, si quis ita excellere

cellere appetat, ut DEO, Superioribus, eorumque legibus subjici nolit. Imperfecta tamen, quæ quis subjici non renuens iis, quibus debet, & in suo tantum affectu se se magnificat, est tantum veniale, ut docet *Cajet. Eccl. V. superbia*, quia sine Dei & aliorum despectu, plus justo se effere, non est gravis inordinatio; esset tamen gravis, si fieret cum notabili aliorum contemptu, complacendo in aliorum abiectione.

Resp. II. Filiæ superbiæ sunt tres. 1. Est Præsumptio, quæ est appetitus aggrediendi aliquid supra vires. Est communiter veniale tantum; fit tamen mortale, si damnum Deo, aut proximo afferat, v. g. si præsumas jurisdictionem Ecclesiasticam, potestatem ordinis sacri. Item officium Medici, Advocati, Confessarii, &c. sine debita peritiâ, *Less. l. 3. c. 2. d. 3. Et supral. 4. t. 3. d. 9.*

2. Est Ambitio, quæ est inordinatus appetitus dignitatis, & honoris non debiti, vel debiti majoris; ut si ambias Beneficium, vel officium, quo es indignus; vel illicito modo & medio, v. g. per simoniam. Est per se peccatum veniale; fit autem mortale, vel ratione materia, ex qua vel ratione medii, per quod honor quaeritur, vel ratione damni, quod proximo infertur. Denique si moderate honor appetatur ob honestum finem, erit actus magnanimitatis, ut docet *Laym.*

3. Est Vana gloria, scilicet cupiditas inanis gloriæ; cujus finis est manifestatio inordinata propriæ excellentiæ, sive veræ, sive fictæ. Dicitur, *vana*, quando quaeritur ex re mala, falsa, aut

ficta; aut quæ non est digna gloria, vel non tanta; ut ex opibus, nugis, &c. aut apud eos, qui non bene de re judicant, aut sine debito fine. Est peccatum per se veniale, mortale sæpe per accidens, ut dictum de ambitione. Imo ut contra *Anglum* recte docet *Sylv. Navar. ca. 17. c. 1.* Est tantum veniale res etiam sacras principaliter facere ob gloriam vanam, v. g. concionari. Porro per vanam gloriam dupliciter peccatur, juxta *D. Thom. 1. 2. q. 13. 1.*

1. Directè idque vel per verba: estque Jactantia: quæ est venialis per se, si sit de re bonis, v. g. jejunio, oratione, &c. etsi per accidens sæpe ratione damni sit falsa, fiat mortalis, ut etiam 1. Si quid dicat contra gloriam Dei, ut *B. zech. 28. Deus ego sum* 2. si prorumpat in contumelias, v. g. Non sum sicut cæteri hominum, & c. ut & hic. 3. ex fine malo. 4. si cum notabili damno proximi fiat. 5. si de re moraliter mala: quia approbatio operis, eandem cum illo speciem habet (quæ proinde in confessione debet exprimi, saltem quando cum jactantia de peccato conjuncta fuit complacentia ejusdem. Quod addo, quia si absque ea fuit, *Navar. Palau. & Dianatom. 2. tract. 4. R. 116.* docent contra *Sanch. Lopez, Rodrig. &c.* non necessario explicari. v. *Card. de Lugo d. 16. n. 267.*) vel per facta, quæ si vera sunt & aliquid admirationis habent, dicitur Inventio novitatum, hæc enim solet vultus admirari, ut peregrinas vestes, opiniones, &c. mortale, si notabiliter corrumpat juventutem, vel mores. Si vero facta falsa sint, est Hypocrisis, v. g. si

v.g. si quis boni aliquid faciat ut videatur bonus, et si non sit: quæ ex se venialis est, nisi sit cum injuria vel contemptu Dei & proximi. 2. Indirectè, in quantum quis altero non vult esse minor. Quod fit quadrupliciter. 1. Per intellectum, & est Pertinacia, quâ quis nimis tenaciter adhæret suæ sententiæ: quæ est mortalis, si oppugnetur veritas magni momenti, vel si sit conjuncta cum periculo tertii, v.g. si medicus cum periculo ægroti maneat in sententia: Per voluntatem, & est Discordia: quâ peccatur mortaliter, quando est circa bonum Dei, vel proximi, in quo deberent esse concordēs. 3. Per verba, & est Contentio, quæ est mortalis, quando animo contradicendi altercaris circa veritatem pertinentem ad fidem, vel salutem animæ, aut corporis. 4. Per facta, dum quis non vult exequi quod debet, & est inobediencia. *vid. Baldell.*

Resp. III. His tribus superbix filiabus respondet Pusillanimitas, qua quis nimium sibi diffidens, detrectat honores, gloriam, vel officium, quo dignus est: veniale est ex genere suo, sit mortale, si detrectes, ad quod teneris sub mortali. *v. Less. l. 3. c. 2. Lay. l. 3. s. 5.* Ex dictis resolvuntur sequentes Casus.

I. Audiens laudem alterius, vel suam, de re mortaliter mala, peccat mortaliter, si approbet, suspiciat, admiretur ut laude dignum. *Sanch. Bald. d. 29. l. 3.*

II. Vituperans alium ad vindictam non sumptam, aliudve grave malum, vel peccatum commissum, v.g. fornicationem, peccat mortaliter, quia

quia est species jactantiae, & est cum approbatione peccati & occasio committendi. *Ibid.*

III. Inducens in civitatem novos habitus, & praevidens, quod suo exemplo moralem necessitatem imponat aliis, ut sumptus faciant supra vires, & postea non possint alere quos debent, vel creditoribus non satisfacere, peccat graviter. *Baldel. l. c.*

IV. Exornare se nimium ex animi levitate, vel vanitate, per se tantum est veniale. *Ibid.*

V. Simulare sanctitatem cum voluntate non habendi, mortale esse dicit. *Bald. l. c.*

VI. Simulare improbitatem est peccatum, quia est mendacium & quidem scandalosum, potest esse mortale. Neque id fecerunt Sancti, nisi faciendo id, quod ex se est indifferens, & permittendo ab aliis accipi, ut signum improbitatis, cum tamen nec ex natura sua, nec ex eorum intentione esset tale.

DUBIUM II.

Quid Avaritia?

Resp. I. Est inordinatus appetitus temporarium. Unde ex hoc, & regula supra tradita, de peccato mortali, *resolves sequentes Casus.*

I. Est ipsa ex genere suo venialis.

II. Cum vero eò excrescit, ut ejus causa divinas leges praevaricari non dubites, fit mortalis.

III. Prodigalitas, quae opponitur avaritiae, & confi-